

5

D E

SCHOLIS PROPHE TARUM
PROBABILIA

QUÆ

CONS. AMPLISS. FACULT. PHILOS. ABOËNS.

P. P.

MAG. ROBERTUS VALENTINUS FROSTERUS,

THEOL. LICENTIATUS ATQUE DOCENS,

ET

ROBERTUS REGINALDUS RINGBOM,

STIP. PUBL. SATACUNDENSIS.

IN AUDITORIO JURIDICO DIE XIX MAJI MDCCCXXVII

H. A. M. S.

P. I.

ABOË.

TYPIS FRENCKELLIANIS.

PROEMIUM.

Viam, qua quæque gens ad culturam progressa est, cognoscere, et causas, quæ effecerint ut vel tardius vel citius ejus lumine collustrari inciperet, pervestigare, jucundissima jure ab iis omnibus censetur occupatio, qui ultra sapere cupiunt quam quod præsens, in quo vivunt, ipsis suppeditat temporis momentum. Erit vero hæc occupatio eo majoris momenti et eo majorem tibi pariet voluptatem, quo magis ea, cujus culturæ historiam exquirendam tibi sumpsisti, gens, ad ceteras excolendas quocunque modo mirabiliter contulerit. Jam vero cum inter omnes constet, gentem Hebræam religionis suis ideis, scriptisque easdem continentibus, ad moralem totius fere mundi faciem commutandam mirum omnino in modum contulisse, non est quod mireris sua sponte unicuique semet offerre quæstionem, qua via et ratione altiora religionis capita ceteræque scitu jucundæ res atque utiles, genti Israëliticæ solerent tradi, quo ad illud demum culturæ culmen pervenire potuerit laudata gens, quod scriptorum in Sacro Veteris Testamenti Codice ob-

viorum et adhucdum ineffabili usu perlegendorum admiranda copia aperte produnt eandem fuisse assecutam. Exstant enim paucissima in Sacro Codice loca, quæ hanc rem tangunt et quæ hac de re dicta occurrunt, vaga sunt et infinita. Attentionem autem eorum, qui nodum huncce solvere conati sunt difficilem, ea commoverunt potissimum, ubi de prophetarum quibusdam mentio instituitur scholis ¹⁾. Quoniam vero propiorem quandam et accuratam hujus modi scholarum, vel Samuelis ætate vel etiam postea florentium, frustra quæsiverunt descriptionem, in diversas abierunt partes horum locorum interpretes, quorum alii, ad litteraria nostri temporis easdem referentes instituta, plus quam fas fuit iis tribuerunt, alii e contrario nimis arctis easdem circumscripserunt definieruntque limitibus. Nos vero, qui scholas has sub examen itidem vocare decrevimus, in materie hac pertractanda ea fideliter secuturi indicia quæ Sacer Veteris Testamenti Codex nobis pensitanda tradit, non aliter quam aliud quodcumque in tempore occurrens phænomenon, ex temporis ingenio et indole easdem dijudicandas censemus, ita ut ne tum quidem cum in conjecturarum campo versari cogimur, quidquam statuisse argu-

¹⁾ Quinque nominatim afferuntur horum collegiorum sedes, scilicet *Gibea* (1 Sam. X: 5), *Rama* (1 Sam. XIX: 19, 20), *Bethel* (11 Reg. II: 3), *Fericho* (11 Reg. II: 5), *Gilgal* (11 Reg. IV: 38, 11 Reg. VI: 1).

amur, quod temporibus istis, de quibus agitur, peregrinum ullo modo possit videri. Quod, quo a nobis fiat successu, rerum periti benigne judicent!

§. I.

Memorabilis ab Israële nomen sortitæ gentis, aspera quævis et atrocia in Ægypto perpetientis, vindex et liberator, mira Numinis cura gravissimo huic negotio popularibus suis longe saluberrimo servatus, divino monitu constitutus fuit Moses 2).

2) Qui factum sit ut in pejus adeo rueret Israëliotarum in Ægypto conditio, amicissime tamen, dum illuc venirent, exceptorum, heic habes conjecturam non improbabilem: Die Israëliten gehörten wol wahrscheinlich zu den Hyksos, die Ægypten einige Jahrhunderte lang beherrschten. Der König, zu welchem Abraham und späterhin Joseph kam, war wahrscheinlich ein Fürst der Hyksos; daher wurden auch die Israëliten, als der verwandte Stamm, so freundschaftlich aufgenommen. Aber nun, heisst es, kam ein anderer König auf den Thron, der nichts von Joseph wusste. Dies geschah, als die nach Süden zurückgedrängten Ægyptischen Urstämme wieder nach den nördlichen Gegenden vorrückten, die Hyksos verdrängten und ihre letzte Festung Avaris eroberten: ein Krieg, dessen einzelne Scenen wir noch auf den Denkmälern von Theben abgebildet sehen können. Die Israëliten blieben zurück und wurden zu Sklaven gemacht, ja die nun herrschenden Pharaonen beschlossen ihre gänzliche Vernichtung, damit sie nicht bei künftigen Einbrüchen der Hyksos ihnen gefährlich werden möchten. RICHTER, *Das Christenthum und die ältesten Religionen des Orients*, p. 173. sq.

Mysteriis Ægyptiorum initiatus (Act. VII: 22), in quibus cognitio de Deo, ex India forte, si originem spectas, derivanda 3), celsior, quam quæ penes vulgum fuit, fideli tegebatur silentio, celsiorem hanc unius Dei cognitionem, in nova, quam inextinguibilis in populares amor condere eum impulit, republica, divulgare sancireque decrevit. Quæ vero religio ut ab mendis pura servaretur et sincera, omne fere cum exteris gentibus, in gravi quippe idololatriæ errore versantibus, evitandum fuit commercium (Exod. XXIII: 23, sqq.). Quod vero ne irritum foret consilium, valida, quantum fieri posset, reddenda erat gens Israëlitica et fortis. Fortem vero non esse vim nisi unitam, perspicuus, duodecim ex Ægyptiaca eductas servitute tribus in *gentem unam* conjungendas sapienter curavit. Nec sapientissimo huic perficiendo consilio optatissima ei defuit uniendi copula. Notitiam enim, haud scio an non ex India, mediante Abrahamo, profectam 4), de »summo Deo, cujus sunt coeli et terra, quique non potest non justissime judicare« (Genes. XIV: 22. XVIII: 25) apud Israëlitas traditione propagatam invenit et conservatam 5). Hunc igitur a piis jam patribus celebratum coelorum ter-

3) Confer. RICHTER l. c. p. 169 sq.

4) Confer. RICHTER l. c. p. 113 sqq.

5) Confer. PAULUS *Theologisch-Exegetisches Conservatorium*.
Zw. Liefer p. 72.

ræque Deum popularibus suis sub Regis imagine contuendum ipsis proprii, omnibusque tribubus communis, ex pacto libero, deliberantibus senioribus, populo toto acclamante, præbuit (Exod. XIX: 3 sqq.), ejusque cultum legibus sapienter sancitis confirmavit. Voluntatem vero Regis hujusce invisibilis, Legislatoris, Judicis, Ducis per Sacerdotes, altiora edoctos, et in primis Summum Sacerdotem populo promulgandam præscribens ⁶⁾, cultus administrationem non minus quam Israëlitarum ad culturam educationem una cum artibus et scientiis, quas Ægyptiis acceptas debuerant, Ægyptiorum more uni tantum tribui et quidem ob magna, ut videtur, in rempublicam merita (Exod. XXXII), Leviticæ commisit. Bene vero intelligens a moribus pendere mortaliū leges et instituta, sapienter, ut semper suevit, cautum voluit novae reipublicae stator, ne, dum tanta esset Leviticæ tribus auctoritas, in tyrannidem olim abiret hæcce hunc in morem exercenda Theocratia, nec cultus in meram cærimoniarum degeneraret pompam, nec ceteris tribubus aditus ad liberam ingenii culturam intercluderetur. Propheticum igitur instituisse videtur ordinem (Deuteron. XVIII: 15, 18) ⁷⁾,

⁶⁾ מלכה כהנים Ein Reich, wo Ich durch Priester König bin. PAULUS l. c. p. 78.

⁷⁾ Confer. HUFNAGEL *Moseh, wie er sich selbst zeichnet in seinen fünf Büchern Geschichte.* p. 56 sq. Non enim unus et suo in genere unicus vates et quidem, ut quondam augurabantur Theologi Christiani, ipse Messias indicatur

cui scilicet, haud secus atque altioris in primis ordinis sacerdotibus, altiora illa et puriora religionis capita, quorum impolita hæc Hebræorum gens — non subito sed sensim atque pedetentim ad culturam evehenda — nondum fuerat capax, eo lubentius custodienda tradiderat, quod nulla adesse videretur suspicandi ratio, qui hujus essent ordinis, lucri studio eadem fore suppressuros, sed sperandi potius eosdem sacerdotum semet opposituros tyrannidi et sanctiora quævis, in ipsa Theocratia idea latentia, cum populo caute communicaturos. En institutum longe saluberrimum 8)! Neque illis, qui huic annumerabantur ordini nativitatis nulla habita ratione, licuit *λυχνον ὑπο τον μοδιον τιθειναι*.

voce מִנְיָו vers. 15 et 18. Nam præterquam quod addito ה demonstrativo sensum extra dubitationem posuisset Moses, si unicum quendam innuere voluisset vatem, ipse contextus refragatur huic interpretationi docetque aperte prophetas in genere omnes intelligi quos Deus sequentibus temporibus voluntatis suæ interpretes ad Israëlitas esset missurus.

- 8) An, qui a natura sese huic ordini accommodatos sentiebant, præparare semet ulterius solerent, non constat. Dignus tamen qui de hac re legatur est HUFNAGEL I, c. p. 53 sqq. Quæ ejus sit sententia, sequentia hæc, ex p. 56. excerpta verba, ostendunt: Es war die *Netzirat-* oder *Gelöbniss-Verbindlichkeit* nichts Eigenes und keine Sache für sich; sondern eine Vorübung, ein Mittel zum Zwecke, *freiwilliges* Entsagen gleichgültiger Dinge für ein Hauptanliegen, und, mit einem Worte, *Vorschule des Nebhiats* und seiner *Verherrlichung*.

Divino enim ex mandato jubebantur, quæ didicissent meliora, sanctiora, palam et quidem intrepide ac fortiter proferre (Deuteron. XVIII: 19) 9). Quæ cum rite curasset Moses, extiterunt nonnumquam post eum viri quidam, donis prophetiæ celebres, qui, quantum melior rerum cognitio, qua

- 9) In diversas partes hujus loci abierunt interpretes. Sententiam vero celeberrimi PAULI l. c. p. 102 not. ** amplectendam judicavimus, quia certis eandem firmare videtur argumentis. Hæc vero ejus sunt verba: *De auditoribus vatum* vers. 19. intellexerunt non pauci. Moses vero poenam divinam iis, qui vates divinitus locutos non audirent, comminari non potuit, cum versu insequente ipse indicet, sæpe ex eventu demum cognosci posse, vates aliquis utrum divinitus an ex arrogantia et præsumptione locutus sit. Antea vero, quam divinitus loqui comprobaretur, considerandæ quidem rei causa audiri poterat, juberi tamen, et sub poena juberi, ut is audiretur, omnino non poterat. Unde versum 19 alio sensu intelligendum esse colligimus. Dixerat Jehova (vers. 18) se ex ipsis Israëlitis exiturum esse mente exaltatum genus vatum Mosis similitum, cui sermones Deo digni inditi forent. Quicumque vero ex Israëlitis *nolit ad ea attentus esse*, quæ Jehovæ nomine eloqui *ipse debeat*, in eum numen divinum esse inquisitum. Proinde mens dictorum hæc est: quicumque motum illum impetumque de rebus divinitus eloquendis in se sentiat, eum vero vel cum attentione debita percipere nolit vel eloqui mandata (id quod v. c. de Jona legitur) recuset, hunc Deo poenas daturum, sic, ut hic vers 19 a negligentia quacunque eum, qui vates fieri poterat, dehortetur, illam vero *παρρησιαν* ad modum *officii* religiose exsequendi postulet.

se imbutos sentiebant, concederet, genti suæ, dum libertate uterentur dicendi, quam ipsis permiserat, immo vero et injunxerat, constitutio Mosaica, more bonorum studerent prodesse. Interea tamen, cum per 400 fere annos continuum esset et incertum de libertate vindicanda certamen, »rara fuerunt oracula divina nec frequentes obvenerunt ulli visiones« (1 Sam. III: 1), inter arma enim siluerunt leges, languerunt optima instituta. Cum vero omnia in maximam ruere coepissent perniciem, theocraticum imperandi genus dissolvi, peregrini exterarum gentium dii cultu dignari divino, et, qui solet anarchiæ esse fructus pestifer, quisque, quodcumque sibi placuerit, impune agere, Deus ter optimus, maximus, opem, cum maxima esset auxilii necessitas, ferens, Samuelem e gremio mire vexati labantisque populi provocavit, hominem adeo solertem et ingeniosum atque in rebus gerendis promptum, ut neminem facile post Mosen ejus exstitisse dixeris similiorem. Ingenium Mosaicæ constitutionis, qua erat mentis subtilitate, perspiciens, vires, in diversas partes distractas, religionis vinculo in unum cogendas primum curavit. Renovata igitur et Israëliitarum mentibus inculcata pactione in æternum memorabili inter Deum et gentem Israëliticam olim jam ad Sinaiticum montem solenniter inita (Exod. XIX), Samuel iudex constituitur et interpres Regis invisibilis, vi muneris prophetici, agnoscitur

scitur (1 Sam. VII: 3—6). Quod cum factum esset, cura et diligentia turbulentissimas avertit tempestates gentique suæ diu optatam, sed æque diu extrinsecus identidem interruptam, quietem et tranquillitatem donavit. Felici hac rerum conditione sapienter utens, puriora religionis capita, typorum haud raro involucris vestita, quæ tam sacerdotum quam prophetarum mutua cura a Mosis inde tempore per varia rerum discrimina custodire valuerat, explicare et divulgare, quantum temporum id sinere intelligeret rationem, decrevit. Prophetici ordinis igitur institutum hunc fere in finem a Samuele fuisse renovatum, non est quod dubites. Quantum utilitatis rempublicam ex hoc instituto esse capturam ipse præ sagierit, inde apparet, quod ita ejus gesserit curam, ut ea prophetarum collegia, quæ, dum ipse adhuc in vivis esset, extiterunt, mirabilem perfectionis gradum assequerentur ¹⁰⁾. Et quidem eo lubentius his institutis ad summum perducendis operam indefessam navavit, quod non tantum ad culturae incrementum et divulgationem civitatisque tranquillitatem, verum etiam suae familiæ emolumentum eadem conferre intelligeret. Tristis scilicet fuit priorum temporum experientia, mortuis iudicibus, quos interdum Jehovæ exsuscitabat

¹⁰⁾ Horum vero duo Samuelis ætate certo constat floruisse sc. *Gibea* et *Ramæ*.

spiritus, omnem ordinem et modum, quem hi civitati procreaverant, pessumdatum fuisse, et in eadam avia coeco impetu ruisse gentem Israëliticam, ex quibus, dum summas tenerent iudices, non sine successu eandem avocari curarunt (Judic. II: 18, 19. II Chron. XV: 3, 5, 6). Medelam morbo allaturus gravissimo et ex calamitatibus hisce, certissimam ruinam civitati, dum iudice careret, non raro minitantibus ¹¹⁾, populares erepturus, ut vivo adhuc iudici successorem designandum esse intelligerent, lugubria anarchiæ mala in posterum sic evitaturi, cives suos pedetentim præparare voluisse videtur Samuel (I Sam. VIII: 1). Huic vero feliciter perficiendo proposito quam efficax auxilium scholæ propheticæ præstare potuerint, sponte intelligitur. Ubi enim melius rei que convenientius educari ii potuerunt, quibus, in republica consilio ac sapientia regenda gubernandaque, uti vellet auxiliantibus? Quinam ab hisce consiliis populumque beandi conaminibus magis pendebant, quam harum scholarum, quas ipse instituerat et quibus ipse præerat, alumni? Et quosnam demum, dum iudicis munus filiis suis tributum cuperet, — excusetur coecus forsitan et nimius hicce patris in filios amor — bono tam animo operam associaturos arbitraretur, quam laudatos alumnos, quorum qui-

¹¹⁾ Confer. MICHAËLIS *Mosaisches Recht, Erst. Th. Zw. Aufl.*
p. 298.

dem erga se esse non potuit nisi liberorum erga parentem adfectio? Exitus certe frustrabatur Samuelis hocce consilium, nam infestissimi erant popularibus suis filii ejus, quia »lucro inhiabant & muneribus corrupti jus pervertebant« (1 Sam. VIII: 3). Sed cum demum eo esset perventum, ut, efflagitatu Israëlitarum, regem, qui ipsis præesset, ungere cogeretur Samuel, mediantibus his scholis cavet, ne nova hacce rerum conversione, nec pro præsentī nec in posterum, vulnus mortiferum theocratico imperandi generi infligeretur et regia in tyrannidem abiret potestas. Ut igitur regum, qui civitatem essent recturi, ex Theocratia pendentem redderet agendi auctoritatem, in scholis hisce, quibus quidem plurimi prophetarum omnem suam populum formandi dirigendique facultatem videntur debuisse acceptam, tenacissimum Theocratiae studium eo magis alendum instituit, quod prophetis hoc jam injunxisset onus atque munus, ut monitores essent atque custodes Theocratiae sancte observandae vigilantissimi. Quorum vero ut eo major foret auctoritas, eosdem מוכרים constituit, qui scilicet, ut et factum esse ex Samuelis inde tempore apparet, acta regum tam publica quam privata literis consignarent, resque eorum gestas secundum Theocratiae normam impavido animo recenserent. Quantum gliscentem regum dominationem aditu hi prohibuerint, et quantam Samuel hac re de patria sua inierit gratiam, ex multis rebus possumus

judicare. Sed ad diurnitatem memoriæ sui stabilendam et gratiam, quam apud populares inierat, augendam, scholis his propheticis eo in primis nomine contulit, quod culturam gentis Israëliticæ mirifice promoverent. Quod igitur quomodo factum sit videbimus.

§. 2.

Cum de Scholis prophetarum agitur, ultro patet nullo modo quæstionem esse posse de ejus generis instituto, in quo ad futura prævidenda scholarum educarentur alumni, quam scilicet facultatem notam prophetæ characteristicam omnis constituit antiquitas. Quis enim credat, ut verbis utar *Vitringæ* ¹²⁾, Deum tot hominibus voluisse imperitare cognitionem futurorum, quæ rarissima et non perpetui usus scientia est? Persuasissimum igitur nobis habentes, ultra solitam humanæ cognitionis sphæram eorum studia et exercitationes nullatenus sese neque extendisse neque extendere quidem potuisse, certum esse multis ex rationibus putamus, meditationes religiosas primarium effecisse hujus institutionis momentum. Cum enim, judicis munus adgressurus, idolorum repudiationem animis Israëliitarum enixe adeo inculcasset Samuel, ut, nonnisi iis rejectis

¹²⁾ CAMPEG. VITRINGA *De Synagoga Vetere*. Lib. I. Pars 2.
Cap. 7. p. 358.